



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima**

**Martini, Martino**

**Monachii, 1658**

Octavus Imperator Hoaius. Imperavit annis XXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11848**

tem jam ante imperium bellicâ gloriâ insignis, &, ubi regnum adiit, virtutis & rerum gestarum æstimatione non minùs quàm armorum metu omnes faciliè in officio continuit, patriæ quiete nullis unquam post hæc bellis tentatâ.

## OCTAVUS IMPERATOR H O A I U S.

Imperavit annis xxvi.

*Cyclo 11. anno  
58. ante Chri-  
stum 1040.*

*Vita deses im-  
perij corrup-  
tela.*

**H**inc HOAIUS à CHUO patre pacatum ac florentissimum accepit imperium. Sed longâ pacis segnitie luxuriare cœpit Sinica felicitas. pessimo inducto more, Sinis regibus hodièque recepto æquè ac pernicioso. Quippe HOAIUS imperij curis in ministrorum fidem contraditis, ipse totum se delicijs inter feminarum spadonumque greges permisit. Hinc licet apud Sinas omnia negotia per supplices libellos ad Imperatores referantur; illi tamen è gynecæo vix unquam egrediuntur in publicum. Verbo Imperatores re autem verâ voluptatis mancipia diceres. Quanquam in tanto dominantium luxu Imperatores quandoque Sinæ habuere optimis comparandos; ut deinceps patebit.

Hujus Imperatoris ævum tam felix admiratæ gentes extera Sinis finitimæ, oriòque simul tam beato & ordinatâ regni gubernatione allectæ, ultro se tributarios allatis muneribus professi sunt. Quas inter insularum Orientem spectantium populi numerantur, quorum mentionem primam sub YUO Imperatore liber XUKING facit. Hæ insulæ fuerintne JAPONIA, an CAREA peninsula, an aliæ minores Sinicæ continenti viciniore, incertum est. Neque enim è Sinico scriptore certi aliquid eruere licet, nomen insularum tacente. Illud tamen certum, navibus vectos advenisse; unde jam tum à Sinis navigatum fuisse indubitatum est. Sed de Sinensium antiquissimis navigationibus per hoc Indicum mare infra dabitur loquendi locus. Eos enim classibus totam hanc Asiam penetrâsse, & ad insulam, quæ hodie à S. Laurentio nomen habet, pervenisse, antiqua passim Sinensium monumenta testantur, de quibus infra,

NONUS